





DE.

Prag. 1. num. 35. A 284

# ARCTISSIMO JVRIS PUBLICI PRIVATI QVE NEXV

PRÆFATVS

## PRO-RECTOR EM

ACADEMIÆ MAGNIFICVM,  
ILLVSTRISSIMOS COMITES,  
PROCERES ACADEMIÆ GRAVISSIMOS,

nec non  
CIVES ACADEMIÆ GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS,

ad audiendam

ORATIONEM SOLENNEM,

QVA

## PROFESSIONEM CODICIS ET NO- VELLARVM

IN INCLVTA HAC ACADEMIA JENENSI  
clementissime sibi demandatam,

eratina luce

IN AUDITORIO PUBLICO

auspicabitur,

pariter ac

STUDIOSAM JUVENTUTEM FLORENTISSIMAM

ad

## LECTIONES PUBLICAS ET PRIVATAS

proxime Bono cum Deo exordiendas,

Qua par est observantia ac humanitate

invitat

DIETERICVS HERMANNVS  
KEMMERICH, JC TVS

SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM LINEÆ ERNESTINÆ  
CONSILIARIVS AVLICVS, CODICIS ET NOVELLARVM PROF. P. NEC NON DE-  
SIGNATVS CVRLÆ PROVINCIALIS DVCALIS, FACULTATIS JVRIDICÆ ET  
SCABINATVS, IN HAC ACADEMIA, ASSESSOR.

IENÆ, LITTERIS MULLERIANIS.



ARGUTISSIMO VERSO

THEATRUM MUSICO-MATHEMATICUM

INSTRUMENTA MUSICALIA

ACCOLOMADA A MUSICO-MATHEMATICIS

PROPOSITIONES ET THEOREMATA

DE CORDIS ET CLAVIS MUSICALIBUS

ET DE TONIS ET CLAVIS MUSICALIBUS

DE CORDIS ET CLAVIS MUSICALIBUS





Vod CODEX iste, qui Imperatoris IVSTINIANI iussu & auctoritate compositus, atque ex Principum Romanorum Constitutionibus collectus est, Ius Publicum pariter ac Privatum complectatur, de eo constat, ni fallor, inter omnes Iurium Interpretes. Hoc intuens, sub auspiciis muneris, a SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS, INDVLGENTISSLIMIS huius Academiæ NVTRITORIBVS, clementissime mihi demandati, quod in Codicis huius, ac Novellarum, quas vocant, juribus publice tradendis atque interpretandis maxime occupabitur, in primo Studiose in hac Academia Iuventutis alloquio, quo de Publicis Privatisque Lectionibus meis certiorum eandem reddere satago, pauca quædam de

A 2 AR-

**ARCTISSIMO PVBLICI PRIVATI<sup>QVE</sup> IVRIS  
NEXV** præfando differere, ab instituti ratione haud  
alienum putavi. (a)

Ante omnia vero, quid *Publici*, quid *Priva-*  
*tati* Iuris nomine veniat, & qua in parte Ius *Publi-*  
*cum* proprie a *Privato* differat, dispicere juvabit.  
Variant in explicanda utriusque Iuris differentia, Iuris  
Interpretes, nec satis perspicue curateque ut  
plurimum eam explicant. Plerique *VLPIANVM* se-  
quuntur, qui (b) *Publicum Ius* definit, quod ad *Sta-*  
*tum Rei* (vel, si mavis, *Reip.*) *Romanæ spectat*: *Pri-*  
*vatum* vero, quod ad singulorum utilitatem. Sunt  
enim, addit, quædam publice utilia, quædam priva-  
tim. Et cum obscurius adhuc videri posset, quid sit  
*Status Rei Romanæ*, ulterius Ius *Publicum* ita inter-  
pretatur: *Publicum Ius in Sacris, in Sacerdotibus,*  
*in Magistratibus, consitit*. Quamvis, ne quid dis-  
simulem, *VLPIANVS* hac ratione saltem per particulas  
quas-

---

(a) Extat quidem & *VLR.* *OB-*  
*RECTH* oratio de *Connexione Juris*  
*Privati & Publici* inter *Academica*  
eius. Sed pauca sunt, & genera-  
lia, quæ argumentum hoc pro-  
prie tangunt. Principio prolixior  
fere est in *Jure Publico Romano*,  
quod jam *XII. Tabb.* comprehen-  
sum, deinceps varie, pro variato  
*Reip. Rom. Statu*, mutatum fue-  
rit, recenfendo. Ostendit deinde,  
apud alias etiam *Gentes Jus Pu-*

blicum dari, & cum primis singu-  
las *Europæ Provincias* peculiari  
fua Jurisprudentia publica gaude-  
re. Demam uno alterove exem-  
pli, ex concertationibus potissi-  
mum de Successione in Belgicas  
Provincias agitatis, de prompto,  
usum juris privati in decidenda  
Principum controversis common-  
strat.  
(b) *L. 1. §. 2. n. de Justit. & Ju-  
ro.*

quasdam Statum Reip. Romanæ descripsisse videatur, non vero totum ejus ambitum exhaustissime: cum de Subjecto Summi Imperii prorsus tacuerit. Callide id quidem, ut videtur: cum, quantum ad hoc, Status Reip. Rom. sub Imperatoribus non parum mutatus esset, atque Principes, sub pristinis Sacerdotum, summorum puta, veluti Pontificis Max. nec non Magistratum, nominibus, summum Imperium exercent. Quemadmodum igitur VLPIANVS, in definendo Iure Publico & Privato, partim ad objectum, ut cum Philosophis loquar, Statum nempe Reip. partim ad finem, utilitatem scilicet publicam & privatam (c) respexisse videtur: ita &, qui eum sequuntur, Interpretum alii differentiam utriusque Iuris ab objecto & fine simul, alii a solo fine, alii a solo objecto; alii a subjecto & objecto, repetunt (d).

Si dicendum, quod res est, neutrum horum in definienda Juris Publici & Privati differentia prorsus exulare, ac mente sejungi debet. Evidem JVS

A 3

PV-

(c) Quamvis sub utilitatibus private nomine & finis, & objectum, res nempe, eodem, ut media, pertinentes, intelligi queant. Unde & privatum utilia, VLPIANO dicta, FRANC. HOTOM. in Comm. ad J. t. de Just. & Jur. §. 3. interpretatur, que ad rem familiariem, ad acquirenda rerum dominia, ad possessiones, obligationes & actiones pertinent.

(d) V. THOMAS. Not. ad Strauch. Differt. Just. 1. ib. 1. SVNGERMANI nota, t. de Just. & Jure §. 87. TEXTOR J. Publ. Casir. Tit. I. n. 16. seqq. TIT. Spec. J. Publ. Cap. 1. §. 42. - 53. HORN. J. Publ. Prud. Cap. 1. §. 2. 3. SPENER Deutscher Jus. Publ. L. 1. C. 1. §. 5. (a)

**PUBLICVM** breviter definiendum censeo, quod Statum Publicum format, atque adeo, quid justum vel injustum circa negotia publica sit, constituit. Sed ut hæc definitio claram distinctamque in mente generet ideam, partite explicandus, & in clariori luce ponendus est Status Publicus. Constat nimurum *Status Publicus* ratione materiae, partim ex personis, Imperantibus puta, & Subditis, partim ex rebus, Territorio nempe, Bonisque publicis ceteris: Ratione formæ vero idem in *nexus* inter Imperantem & Subditos, vel, si mavis, *Caput & Membra*, mutuisque juribus & officiis inde manantibus, consistit. (e) Et quoniam in *nexus* isto in primis cardo rei vertitur, quippe qui formam Statui Publico largitur, hic ulteriorius evolvendus erit, & primum, quomodo constituantur, deinde quid constitutus involvat, inquirendum. Constituitur nimurum nexus iste, ex parte Imperantis quidem, sive *Capitis*, vel per *Electionem*, vel per *Successionem*; utroque enim modo aliquis Imperans fieri, summamque potestatem acquirere potest: ex parte vero *Subditorum*, sive *Membrorum*, consensu expresso vel tacito, cuius interpres ac firmamentum

---

(e) Rotunde ARISTOTELES Lib. III. Polit. cap. 6. *Rerpublicam*, i. e. Statum publicum, vel si mavis, *nexus* istum inter Imperantem & Subditos, unde forma Reip. enascitur, definit per *rebus*, *modis*, i. e.

ordinem civitatis, consistentem, interprete VLR. HUBERO in Institut. Reip. Sect. I. Cap. I. §. 1, in regimine Summe Potestatis, & subiectione reliquorum per medios Magistratus.

tum solet esse homagium. Constitutus porro nexus  
primum quidem, ex parte Imperantis involvit Obliga-  
tionem ad promovendam Reip. Salutem, quæ si-  
mul Summam ei largitur Potestatem; omnia ea agen-  
di, quæ ad promovendam Reip. Salutem facere vi-  
dentur: cum obligatio ad finem jus det ad media.  
Hæc vero Summa Potestas iterum plura alia sub am-  
bitu suo complectitur jura, pro diversitate medio-  
rum, negotiorumque, quibus ea ad finem Reip.  
consequendum applicantur, objectorumque, circa  
quæ occupantur, diversa. Deinde per hunc nexus  
quoque Subjectum Summæ Potestatis determinatur:  
ut appareat, an una aliqua persona simplex, veluti Rex,  
an vero composita, veluti Senatus, aut Populus, summa  
gaudeat potestate; i.e. an Status Reip. sit Monarchicus,  
an Aristocraticus, an vero Democraticus. Denique per  
eundem nexus definitur Modus, quo jura summæ  
potestatis exercentur; ut constet, an Imperans absoluta  
gaudeat potestate, an certis limitibus circumscripta ad  
consensum Procerum, vel Populi, adstricta, idque ite-  
rum vel quod ad omnia, vel quod ad nonnulla saltem  
summæ potestatis jura. Ad quem modum quoque spe-  
ctat Regimen Summo Subordinatum, per Senatus  
aut Magistratus inferiores exerceri solitum. Ex parte  
Subditorum sese exerit nexus prædictus in subiectio-  
ne, sive obligatione ad obsequium Imperio illius, pe-  
nes quem Summa est Potestas, præstandum: quæ,  
prout

prout absoluto vel limitato respondet imperio, eo  
minori aut majori libertate temperata est. Atque  
ex his jam facile, quid *Negotia* sint *publica*, est ad in-  
telligendum: quippe quæ & ex fine, & ex objecto, &  
ex subjecto, suam nanciscuntur definitionem. Ni-  
mirum *Finis* Societatis civilis est *communis Reip.* sive  
*Populi*, Remp. constituentis, *Salus*, quæ & *publica*,  
quasi *populica*, cognominatur, in Pace, *Tranquilli-*  
*tate*, *Securitate*, tam interna, quam externa, maxime  
consistens. Unde *Publica* haud dubie *Negotia* sunt  
censenda, quæ ad *Publicam*, i. e. *communem*, totius  
*Reip.* sive *Populi*, spectant *Salutem*. Ad hunc finem  
obtinendum certis opus est *mediis*, iisque, vel ad *Sa-*  
*lutem internam*, vel ad *externam* promovendam,  
accommodatis. Prioris generis sunt *Leges* & *Judi-*  
*cia*, quæ iterum ad diversa applicantur *objecta*: po-  
sterioris generis sunt *Bellum* & *Pax*, *Fædra* & *Lega-*  
*tiones*. Hæc omnia ut prudenter ad finem suum di-  
rigantur, præviā requirunt *Consultationem*, de utri-  
usque generis mediis recte adhibendis sollicitam.  
*Actiones* igitur, quæ circa hæc media, tanquam ob-  
jecta sua, versantur, eademque ad finem *Reip.* con-  
sequendum applicant, *Negotia publica* dicuntur. De-  
nique uti omnis *Actio* certum requirit *Principium*  
*Agens*, ex quo, tanquam ex fonte suo, profluat:  
ita & *negotia publica* suum requirunt *Principium*  
*Agens*, *Personam* nempe, sive *simplicem*, sive *com-*  
*positam*

positam, quæ Negotia publica ad Salutem Reip. dirigat: qualis *Imperans* salutari suevit, quod Directio ista ut plurimum per modum *Imperii* exerceri soleat. Imperanti vero iterum subordinantur *Administris & Magistratus*, quippe qui illius nomine directionem & imperium exercent. Unde iterum palam est, *Negotia publica* censeri, quæ ab Impetante qua tali, vel Administris aut Magistratis, Imperantis nomine, geruntur.

Jus PRIVATVM dirigit negotia civium ac subditorum privata, eorumque coercet delicta. *Negotia* vero *privata* partim ex fine, partim ex personis, partim ex rebus, estimantur. Ratione *finis* negotia censentur privata, quæ ad *utilitatem* cuiusque *propriam* promovendam faciunt: atque adeo hac in parte differunt a negotiis *publicis*, quæ ad *communem* totius Societatis civilis sive Reip. salutem spectant. Ratione *personarum*, negotia privata dicuntur, a talibus suscepta personis, quæ ad societatem tantum domesticam sive familiam, cuius vel caput, vel membra sunt, vel talem universitatem, quæ itidem non nisi utilitatem privatam pro fine habet, referuntur, atque adeo ut Patresfamilias, ut mariti aut uxores, ut parentes aut liberi, ut domini aut servi, ut tutores vel curatores, aut pupilli vel minores, ut rustici, vel opifices, vel mercatores, considerantur. Denique ratione *rerum* privata negotia vocantur, quæ

B

ver-

versantur circa *res*, ad propriam cujusque utilitatem  
pertinentes, earumque acquisitionem, administratio-  
nem, aut translationem in alios. Ut adeo primum  
in hunc censum veniant omnes modi acquirendi ac  
transferendi dominii juridice tales, usucapiones ac  
præscriptiones, successiones, testamenta, legata, fidei-  
commissa, contractus denique. Deinde cum & me-  
dia dentur acquirendi bona privata, promovendi-  
que utilitatem suam privatam, œconomice talia, vel-  
uti commercia, opificia, agricultura, res pecuaria,  
metallurgia, & id genus alia: patet, & hæc proprie-  
tatis esse privati; quamvis interdum ob accedentes  
utilitatis publicæ rationes, quodammodo ad jus pu-  
blicum referantur. Ceterum & *delicta* civium ac sub-  
ditorum, eorumque poenæ, saltem magna ex parte,  
ad jus privatum pertinent. Quamvis in hac mate-  
ria jam insignis, & major fere, quam in negotiis ci-  
vilibus, sese exerat juris publici privatique nexus, de  
quo inferius ex instituto erit agendi locus.

His ita fundamenti loco positis atque expositis,  
eo facilius intelligetur arctissimus iste juris publici &  
privati nexus, jam ulterius edifferendus. Exerit se  
autem hic nexus non solum in *theoria*, quam vocant,  
quod nec jus publicum sine privato, nec privatum si-  
ne publico, accurate recteque intelligi ac perdisci  
possit: sed etiam in *praxi*, quod sæpe tam publicæ  
quam privatæ causæ parum feliciter disceptentur ac  
defi-

definiantur, nisi vel in illis ius privatum, vel in his  
ius publicum, in subsidium vocetur. Evidem fa-  
cilius esset arctissimus, quem dixi, utriusque hujus ju-  
ris nexus, euado per singulos juris articulos, ad de-  
monstrandum, si instituti ratio amplitudinem argu-  
menti exhaustire permetteret. Sed sufficiat nunc, ex-  
emplis nonnullis, ex utroque jure per modum spici-  
legii depromptis, veritatem asserti comprobare. Ca-  
piamus ergo principio duo nobilia orationes  
capita, *Leges* nempe & *Judicia*, ceu talia, per quæ  
Imperium in subditos potissimum sese exerit.

De LEGIBVS in jure publico pariter ac privato  
agitatur. Illud in primis ius & potestatem Leges ferent-  
di, ceu partem Summae Potestatis: hocvero Leges  
jam latas, ceu normam actionum, subditis præscri-  
ptam, considerat, atque simul modum easdem ad  
facta subditorum applicandi, justitiamque ac inju-  
sticiam eorum inde definendi, exponit. At si Leges  
pro norma actionum a subditis sunt observanda; ju-  
stitiaque ac injustitia earum ex illis metienda est, an-  
te omnia de valore illarum atque auctoritate con-  
stare debet. Constat autem hac de re non potest,  
nisi, an rite conditæ sint ac promulgatae, & cumpri-  
mis, an potestate gavissimæ sit legislatoria, qui easdem  
condidit, extra dubitationis aleam positum sit: Quod  
sane aliunde, nisi ex genuinis Juris Publici prin-  
cipiis definiri nequit. Certe in Germania nostra,

B 2 ubi

abi Legislatoria Poteſtas non ſolum penes Impera-  
torem & Imperium, ſed etiam penes Principes  
& Status, ceu Dominos Territoriales, eſt, ſequi-  
dubia circa applicationem Legum, prefertim ſi di-  
versa Leges, a diversis Legislatoribus profeſtae, in-  
ter ſe collidant, ſubnasci poſſunt. Et primum qui-  
dem de Legibus Imperii universalibus dubitari po-  
teſt, utrum illis Leges provinciales, an vero illæ hiſ,  
derogent: ex qualibus dubiis ſeſe vix expediet, niſi  
juris publici novioris gnarus, qui ex legibus Imperii  
noviſiſimiſ, quid liberum juris territorialis exercitium  
valeat, & quo uque universali Imperii Poteſtati in  
Territorio prävaleat, rite aſtimare didicerit. (f) De-  
inde cum Territorium ſepe Territorio ſubordinatum  
videatur, vel Territorium aliquod in partes diviſum  
ſit: itidem quæri poſteſt, an & illius Principis statuta,  
qui vel Territorium ſubalternum, vel partem Terri-  
torii tenet, pro legibus valeant, aliisque Constitu-  
tionibus provincialibus illius Territorii, cui ſubordi-  
natum videtur ipſius Territorium, vel cuius pars fuit,  
prævaleat (g). Eadem eſt ratio Privilegiorum ac  
dispens.

(f) V. B. CHRIST. THOMASII  
Disp. de Poteſtate Statuum Imp.  
Legislatoria contra Jus commune.

(g) Recordor, ICTORUM VI-  
temb. ordini aliquando, Anno  
1720. m. Aug. ſpeciem oblatam  
fuifſe, e Terris Hennebergiis Du-  
cis Saxo-Zicensis transmisſam, ubi  
uxor pro marito interceſſerat, &

SCto Vellejano ceterisque juris  
beneficii quidem renunciaverat,  
ſed abſque juramento ſolenni &  
corporali: unde renunciationem  
invalidam eſſe, exiſtimabat. Cui  
cum Deciſio Elect. 25. objicte-  
tur, vi cuius ad renunciationem  
duntaxat, que fit ratione dotti ac  
donationis propter nuptias, cor-

*dispensationem.* Quod si enim privilegium alicui in causa privata, contra jus commune, concessum sit, de cuius valore intuitu concedentis dubitatur, sane non nisi ex juris publici principiis de eo pronunciari potest. Quod si enim concessum sit ab eo, qui Superioritate Territoriali, atque adeo Potestate legislatoria destituitur, privilegium nullius erit momenti (h). Idem pronunciandum, si exempli causa jus aggratiandi exercere velit Princeps, cuius Territorium sublimi alterius Territorii juri subjacet: cum dispensare non possit circa leges, qui, latis legibus contrariis iisdem haud derogare valet.

Materia quoque de IUDICIS in utroque jure locum habet. Et in Jure Publico quidem Potestas

B 3

Judi-

porale requiritur juramentum, non etiam ad eam, qua sit ratione paraphernalium; ipsa vero regereret, Edicto Principis Saxo-Zizen sis de d. 15. Decemb. A. 1663. cantum fuisse, ut Decisiones Electorales in Processualibus tantum, non etiam in materialibus & mercantilis causae, in Terris Hennebergicis valerent: a nonnullis dubitatum fuit, an Princeps ille Edicto suo Decisionibus Electorali bus derogare potuerit. Nec certe res dubio caret: quod Anno 1663. Princeps Elector Saxonie adhuc sublime jus territorialis in terris Hennebergicis sibi assertuerit; quamvis postea Anno 1703, pacto inter Potentissimum Poloniarum Regem Saxonique Electorem

necnon Duecem Saxo-Zizen sen inito, huic plenum Territorii jus in illis terris firmatum fuerit. Atque adeo res ex jure publico speciali decidenda erat.

(h) Exemplo egregio hanc rem illustrat Celeberrimus Dn. LEYSER in *Medit. ad w. Specim. IV. n. III.* privilegi nempe, quo Michael Episcopus Merseburgensis equiti alicui in prædio suo, civitati cuidam vicino, jus coquendæ vendendæque cerevisæ concederat, cuius validitatem, ob dubiam concedentis potestatem, in dubium vocabat civitas. Quæ lis licet tota privatam respiceret utilitatem, attamen ex juris publici principiis decidenda erat.

*Judiciaria*, atque adeo *jus constituendi & exercendi*  
*judicia*, aliisque jurisdictionem concedendi, seu pars  
Summae Potestatis, explicatur. In jure *Private* au-  
tem *Judicia* constituta, & quidem quatenus cause  
privatae in illis disceptantur, in censem veniunt. Sed  
cum *Judicia* ab Imperante constituta, & jurisdictione,  
inferioribus judicibus concessa, nihilominus Summae  
ejus Potestati *judicariæ* subjaceant; prætereaque in  
Germania diversa dentur *Judicia* non solum Imperialia,  
sed etiam Territorialia, sibi invicem subordi-  
nata, aut coordinata, variisque privilegiis hoc no-  
mine ornata: facile etiam hac in parte arctissimus  
juris publici privatique intelligitur nexus. Intelligi-  
tur quoque, cause patronum, qui in jure publico  
hospes est, atque hanc *Judiciorum* subordinationem,  
aut coordinationem, privilegiaque eorum, ignorat,  
facile turpiter hallucinari, optimamque clientum cau-  
sam pessime perdere posse. Id quod dupli exemplio,  
*Vocationis* nempe in *jus*, & *Appellationis*, de-  
monstratum dabo. In *jus vocationi* saepius obstat  
*jus de non evocando*, quoties scilicet vocandus est  
alieno judici subiectus, per modum exceptionis, non  
solum judiciis alterius Domini territorialibus, sed et-  
iam ipsis Imperii Judiciis, opponendum. Hoc igit-  
tur si vel *judex* vocans, vel *is*, qui vocatur, sive *fit-  
reus*, sive *testis*, sive *advocatus*, qui alterutrum in ju-  
re instruere debet, ignoret, neque adeo vel cui istud

com-

competat, vel cui opponi possit, vel in quibus casibus ei locus sit, didicerit, facile quid admittere potest, quod vel in Domini, aut Judicis sui, vel etiam in sui ipsius præjudicium vergere possit (i). Sed & *Appellationibus* sapienter obstat *Jus de non appellando*, nonnullis Imperii Statibus, vel sine ulla limitatione ac restrictione, vel certis summae appellabilis, aut causarum, limitibus circumscripsum, competens. Hoc igitur itidem ex jure publico cognitum sit, oportet, ei, qui hoc remedio in causis privatis uti voluerit: ne, provocando vel ab eo, a quo, vel ad eum, ad quem, vel in causa, in qua, provocare, vi privilegii competentis, fas non est, in poenam incidat violati privilegii.

Ut ulterius progrediamur, atque ad specialiora descendamus, in ipsis CAVSIS PVBLICIS saepe arctissimus iste juris publici privatique nexus cernitur. Nimirum causa publica haud dubie est, ubi vel de *Jure Suffragii*, vel de *Territorio*, ejusque *Juribus*, contenditur. Quodsi vero de modis *Jus Suffragii*, vel *Territorium*, jusque *Territoriale*, acquirendi aut amittendi agatur, jam talia in hujusmodi causis in subsidium vocanda sunt jura, quæ proprie in jure privato suam habent sedem, atque adeo inde veluti mutuanda sunt. Utut enim in multis causis publi-

cis-

(i) V. Disp. mea de *Jure de pum ac Statuum Imp. aliorumque non evocando Electorum Princi- Immediatorum & mediatorum.*

cis verum sit, quod ab aliis ex instituto est assertum, inepte rationes decidendi in controversiis publicis ex jure privato, præsertim Justiniane & Canonico, de-  
promi (k); ubi scilicet de ipsis juribus Summæ Po-  
testatis, aut Superioritatis Territorialis, eorumque  
subjecto, aut modo eadem exercendi, agitur: alia  
tamen est ratio, ubi tales de his incident quæstiones,  
quæ ipsis cum rebus Juribusque privatis sunt com-  
munes. Quamvis, ex quoniam jure privato, domesti-  
co, an extraneo, ratio decidendi petenda sit, & an spe-  
ciatim jus Justinianum, aut Canonicum, in tali cau-  
sa usum auctoritatemque habeat, hujus loci non sit,  
definire. Ita de *jure suffragii* in Comitiis Imp. ali-  
quando disceptatum, utrum istud per non usum aut  
præscriptionem possit amitti: quod partim ex natu-  
ra juris suffragii & Comitiorum Imp. adeoque ex ju-  
re publico, partim ex indole præscriptionis, adeoque  
juris privati principiis, ad hanc causam publicam  
dextre applicatis, evincendum fuit (l). Pariter &  
modi acquirendi vel amittendi *Territorium ac Jus*  
*Territorii*, in multis convenient cum modis, qui-  
bus bona & jura privata vel acquiruntur, vel amit-  
tuntur. Hinc quoties vel de *Possessione*, vel de *Pre-  
scriptione*, vel de *Oppignoratione* Territorii, Jurium-  
ve

(k) v. LAVTENSACK de *inepta ratione decidendi controversias Ju-  
ris publici ex Legibus Romanis & Jure canonico.*

(l) v. Celeberrimi Dn. GRIN-  
NERI Disp. de *Jure suffragandi  
Principum Imp. usu intermissio non  
percunie.*

ve Territorialium, aut Regalium, itemque de *Successione* in Territorium vel ab intestato, vel ex testamento, vel ex pacto, agitur: quis non videt, hic jura, privatis fere rebus negotiisque propria, ad res negotiaque publica applicari, atque adeo jus privatum cum jure publico conjungi? Imo quis non videt, minus feliciter in hujusmodi causis publicis definiendis versaturum, cui indoles prædictorum modorum jus aliquod acquirendi vel amittendi ex jurisprudentia privata probe haud cognita fuerit atque perspecta? Constat porro, præter Territorium, quoque dari *Bona Publica*, quæ generali vocabulo hodie *Fiscus*, itemque *Bona Camera*, vel etiam *Domania*, appellantur. Hoc vero caput juris publici esse, nemo forte negaverit, nisi cui indoles hujusmodi bonorum prorsus ignota fuerit. *Fisci* enim nomen jure Francorum & Germanorum omnia ea complectebatur bona, quæ Regi non solum ad dignitatem suam tuendam, sed & Reip. onera ferenda, Populi voluntate attributa erant. Unde & hodie *Fiscus* a Doctoribus definitur, patrimonium Reip. comprehendens omnes res, omniaque ejus jura, ad peculiare ejus commodum pertinentia, utilitatibus & necessitatibus publicis inserviens. Nihilominus Fiscum jure communi, i. e. quo alii privati utuntur, uti, in confessio est. Ac licet idem & in acquisitione & in conservatione & in alienatione rerum suarum non-

C nullis

nullis gaudeat privilegiis, hæc tamen & ipsa ex juris  
privati visceribus deprompta sunt.

Jus CIVILE ad duo summa capita ab Imp. IVSTI-  
NIANO revocatum esse, *jus scilicet personarum*, & *jus  
rerum*, tralatitium est. Circa *jus personarum* ex jure  
publico occurrit *jus legitimandi* illegitime natos, ve-  
niām ætatis concedendi, *jus famam restituendi*: qua-  
lia vulgo quidem ad Reservata Imperatoris referun-  
tur, & ab ipso per Comites Palatinos in Territorii  
Statuum exercentur, sed & Status Imp. eadem hodie  
juribus territorialibus adscribunt, nec ut Cæsaris nomine  
in suis Territorii exerceantur, facile admittunt. Ce-  
terum effectus horum jurium in causis privatis sese  
exerunt: quamvis, an rite legitimeque facta sit legi-  
timatio, veniaæ ætatis concessio, famæ restitutio, ex  
novioribus juris publici principiis, talibus nempe,  
quæ & Reservatis Cæsareis, & Juribus Territorialibus,  
justum statuunt pretium, dijudicandum sit. (m). In-  
ter res, de quarum jure alterum juris civilis caput  
præcipit, aliae dicuntur *communes*, aliæ *publicæ*: ad  
illas ab Imperatore referuntur, *aer*, *aqua profluens*,  
& *mare*, & per hoc *littora maris*; harum vero exem-  
pla afferuntur, *flumina* & *portus*. Sed an revera *com-  
munes a publicis* in statu civili differant, & unde *jus  
istud*,

---

(m) v. THOMASTI Disp. de In- | corum Superioritatis Territorialis  
justa oppositione jurium Majestati- | & Reservatorum Imperatoriorum.

istud, quod privatis, sive subditis, sive exteris, in  
communes æque ac publicas tribuitur, pendeat, non  
nisi ex jure publico intelligi potest. Certe qui ex il-  
lo didicerit, totum Territorium, cum omnibus suis  
partibus & accessionibus, in privatorum proprietatem  
legitime non redactis, adeoque & aquis istud alluen-  
tibus vel perfluentibus, in dominio esse Reip. facile  
sibi persuadebit, nec usum harum rerum, sive jus iis  
utendi, aliis patere, nisi quibus Dominus illius Ter-  
ritorii concederit. Atque sic nexus juris publici &  
privati, quantum ad res publicas, jusque privatis in  
eas competens, iterum est manifestus.

Adhuc aliis in causis *civilibus* animadvertisit  
juris publici privatique nexus, si *negotium* quidem  
quod geritur, sit *privatum, persona autem, quæ ge-  
rit, publica*. Usu hoc venit in Imperantibus, quales  
sunt Principes & Status Imperii, ubi ut Patres fami-  
lias, ut mariti cum Uxoribus, ut Parentes cum Libe-  
ris, ut Domini cum Ministris aut famulis, agunt, ma-  
trimonia ineunt, tutelas privatas gerunt; dominium  
rerum privatrum acquirunt vel amittunt, alienant,  
donant, præscribunt, vel contra se præscribi patiun-  
tur, testamenta de rebus privatis condunt, vel ex iis,  
aut ab intestato in tales res succedunt, vel de talibus  
rebus contrahunt, vel in judicio agunt & litigant. Li-  
cet enim in huiusmodi negotiis Principes non ut  
Principes sive Imperantes agant, atque adeo regula

C 2 valere

valere videatur, quod in iis utantur jure privatorum: negari tamen nequit, quod respectus personæ publicæ & Imperantis etiam hic, uti alias diversitas status ac jus personarum, exceptionem nonnunquam faciat a regula. Quod in primis in iis cernere licet negotiis, quæ variis solennitatibus civilibus involuta sunt: quippe quæ trito a Principe in omnibus illis negliguntur casibus, in quibus ipsi dispensare circa leges civiles integrum est. Exemplo esse potest Testamentum Principis, in quo de rebus privatis inter solos disponit subditos, quo nomine tamen & Uxor, & Liberi, & Apanagiati, mihi hodie, ex verioribus juris publici principiis, venire videntur. Alia foret ratio, si quid in præjudicium extranei, sive Principis, sive alterius cuiusdam, Superioritati ipsius Territoriali haud subiecti, in testamento disposuerit. Hujus enim intuitu uti respectus Imperantis cessat, atque adeo circa leges, quæ ab extraneo isto observantur, dispensare non licet: ita liquet, & formam a legibus civilibus præscriptam eidem utique observandam, neque in præjudicium illius, qui inde jus quæsumum habet, insuper habendam. Quis vero in hujusmodi causis, quid, pro circumstantiarum ratione, justum vel iniustum sit, accurate iudicabit, nisi iuris publici simul ac privati scientia instructus?

Pergo ad JUS CRIMINALE, quod quatenus delicta,

licita, a subditis, tanquam privatis, commissa, pœnæ, i. e. malis, utilitati cuiusque privatæ adversis, irrogatis, coerct, iuris privati utique pars aut species est. Sed in hoc iuris publici cum privato nexus sere magis adhuc, quam in iure civili, sese exerit. Non dicam de divisione *Delictorum Judiciorumque in Publica & Privata*, Romanorum institutis maxime accommodata: quamvis & hæc utriusque iuris nexus firmet. Sicuti enim in delictis iudiciisque privatis magis utilitatis privatæ: ita in publicis major publicæ salutis ratio habebatur, atque totius Reip. causa veluti agebatur. Unde nec nisi publica, initio Regis, postea Populi, deum Principis, iussu vel auctoritate, solenni publicoque ritu, publica instituebantur iudicia. Certe & Germanorum moribus olim *bannum*, i. e. iudicium criminale, den *Blutbann* / nemini exercere licuit, nisi a Rege esset concessum. Et forte hæc non ultima fuit causa creandi Vicarios Imperii, ut scilicet essent, qui absente Rege, bannum concederent, neque adeo crimina interim manerent impunita. (n) Negari saltem nequit, in puniendis criminibus maxime Reip. respic-

C 3 cien-

---

(n) v. *Jus Feud. Alemann.* cap. XLII. §. 6. ibi: So der König Van lihet ic. Der Pfalzgrave von Lütschen Landen vert, so mag zu Nine der hat Gewalt den Van er des Dicthes Marschalck wol zu lichende hene Site Rins ic.

ciendam esse Salutem , atque adeo quo gravius da-  
minum aut periculum in Remp. e crimen admissio  
redundat, eo graviori istud coercendum esse poena.  
Sed & hoc in primis notari meretur , multa dari cri-  
mina, quæ directe statum feriunt publicum , atque  
Reip. jura violent: veluti *crimen lesa Majestatis &*  
*Perduellionis, falsa monetæ, fractæ pacis publicæ,*  
*ambitus, repetundarum sive barattaria, de residuis,*  
*peculatus, annonæ, & id genus alia; quorum & in-*  
*doles ut intelligi, & gravitas recte estimari possit,*  
*utique status publici cognitio, ex jure publico hau-*  
*rienda, necessaria est.* Accedit & alia nexus huins  
inter jus *publicum & criminale* ratio. Evenit nempe  
aliquando, ut crimina a Principibus etiam & Stati-  
bus Imperii perpetrentur. Sed facile intelligitur, non  
ita in Principis, quemadmodum in cuiuslibet homi-  
nis privati, caput animadverti posse. Probe igitur  
subductis rationibus, delicto a Principe a iove Statu  
Imp. commisso, dispiciendum , quid Status publici  
hac in parte ferat, aut exigat, ratio , quid nexus in-  
ter Status Imp. & Imperatorem Summamque Impe-  
rii Potestatem, qui denique ipsius Principis aut Sta-  
tus delinquentis sublimis conditio , & insignis liber-  
tas, patiatur. Quin & delicta ipsorum *publica*, i. e.  
quæ ab ipsis, tanquam personis publicis, sive Impe-  
rantibus, aut Statibus Imperii, committuntur, *apri-*  
*vatis*, i. e. iis, quæ ab iisdem, ut hominibus ac pri-  
vatis,

vatis, perpetrantur; probe secernenda sunt. Quæ omnia sane non nisi ex intimis juris publici principiis, recte curateque dijudicari posse, palam est. Unde & peculiarem in jure publico locum caput de *Judiciis Principum & Statuum Imp. Criminalibus* occupavit (o). Sicut & *Constitutio de Pace Publica*, contra criminis fractæ pacis publicæ ac dissidationes, olim in Germania lata, inter Leges Imperii fundamentales reperitur, ac de ordine modoque decernendi pœnam Banni Imperialis, multa singularia in Capitulatione novissima sancta sunt, negotiumque hoc plane inter cornitaria relatum est. Ut adeo, his omnibus rite ponderatis, Jus Criminale forte haud incongrue in *Publicum & Privatum* dispescatur (p).

Progredior ad *JUS FEVDALIS*. Fenda ut ex institutionis ad *Statutum Publicum* pertinentibus, officiis nempe vel Ministerialium Palatinis sive Avilicis, vel Magistratum, Ducum scilicet & Comitum, Provincialibus, sive Civilibus, sive Militaribus, haud dubie suam trahunt originem (q); adeoque a Perso-

(o) V. GOTTLIEB GERH. TITI Spec. Jur. Publ. L. 6. C. II. §. 56. seqq. Celeberr. Dni STRUVII Synagm. Jur. Publ. Cap. XXIV. §. 6. seqq. add. *Introduct.* mea ad *Jus Publ. I. R. G. Lib. 5. Cap. VIII.* §. 50.

(p) Conf. Dn. IOH. GEORG. CRAMERI *Specimen Juris Publici Criminalis Enarr. de Natura &*

*indole Delictorum & Panarium in  
causis Statutum Imp. Rom. Germ.*

(q) Conf. Celeberr. Dn. IOH. PET. a LYDEWIG. *Programma Germ.  
von denen Mängeln und der Verbesserung des Deutschen Leben Rechts  
§. 8. seqq. & Celeberr. Dn. CASP.  
ACHAT. BECKT. *Diss. De Paribus  
Reipubl. Ministri & Vasallis Ju-  
ribus.**

sona Publica, Rege scilicet, personis publicis, Officialibus nempe sive Ministerialibus, aut Magistratis, de rebus bonisque publicis, concessa; a personis vero rebusque publicis demum ad personas ac res privatas derivata sunt: ita non mirum, duplicitis generis *Jus Feudale* enatum esse, *Publicum* scilicet & *Privatum*, quorum illud circa Feuda Imperii nostri immediata, hæc circa mediata, versatur. Certe *nexus feudalis* inter Imperatorem Imperiumque ex altera, nec non Status Imperii ex altera parte hodieque perdurat: ut adeo *Statum Reip. Germanicæ* tantum non omnem *Feudalem*, in Feudis Regalibus pariter ac non regalibus conspicuum, haud immerito asserueris (r). Quo circa & in jure feudali nexus juris publici & privati est manifestus. Ult taceam, saepe etiam *Regalia*, quæ nihil sunt, nisi Summae Potestatis, vel, pro re nata, Superioritatis Territorialis, particulae, per modum beneficii feudalis etiam privatis dari: quo ipso novus utriusque juris accedit nexis.

Tandem ad ius ECCLESIASTICVM devenio. Hoc quatenus dirigit actiones subditorum circa publicum religionis exercitium, nec non personas & res eidem interuenientes, ita, ut omnia ordine ac decenter fiant, ac Salus Reip. per istud non impediatur, sed promovetur,

(r) v. *Theses Mex. Inaug. de galibus Statu Reip. Feudali & Feudis Reip.*

veatur, itidem de jore publico & privato, participat.  
Quemadmodum enim non nisi Imperantis est, actiones  
subditorum ad salutem Reip. dirigere: ita & jus easdem  
circa religionis exercitium ad hunc finem, per modum  
imperii, dirigere, pars Summae Potestatis est, quod *Jus*  
circa *Sacra* appellari solet, & varia iterum jura specia-  
lia sub ambitu suo complectitur. Atque hoc ad *Jus Pu-*  
*blicum* haud dubie pertinet. E contrario ipsum *Religio-*  
*nis exercitium*, quatenus scilicet homines in Societate Ci-  
vili viventes, propriæ salutis causa, cum DEO agunt, si-  
ve id publice, i. e. in loco publico, publicoque ac so-  
lenni ritu, sive privatim, fiat, ad jus privatum merito re-  
fertur. Imo & *Ecclesia*, i. e. coetus aut universitas homi-  
num, exercenda religionis causa, licet publica auctori-  
tate, coeuntium, juris tamen privati est censenda: cum  
& membra ejus, sive Imperantes sint, sive subditi, non  
nisi ut privati homines in ea spectentur, atque negotium  
ipsum ad singulorum potius, quam Reip. spectet salutem.  
Sed & *Ministri Ecclesie*, sive Doctores, sive Pastores, sive  
Superintendentes, sive Episcopos, appelles, licet publi-  
co, i. e. publica auctoritate demandato, munere in Ec-  
clesia fungantur, tamen quatenus tantum docent, aut sa-  
cramenta administrant, vel etiam nuda inspectione in-  
gregem, aut directione quadam, sine imperio, gaudent,  
subditi nihilominus manent: siquidem nec imperantes  
sunt, nec magistratus, Imperantis nomine imperium ex-  
ercentes. Pariter & *Res Ecclesie*, sive *Sacra*, sive *Ecclesia-*  
*stica* vocentur, res universitatis sunt, atque adeo pari cum  
aliis rebus universitatis jure censentur. At enim vero quis  
non videt, quam parum recte jus circa sacra, ejusque sub-  
jectum, & partes, & limites, sit definiturus, qui genuinam  
religionis & ecclesiæ indolem, itemque ministrorum re-  
rumque ecclesiæ qualitatem & naturam, tanquam objec-  
ta juris circa sacra, ex jure ecclesiastico privato haud in-

D telligit:

telligit: & vicissim, quam parum feliciter jura, subditis, aut ecclesia, religionis causa competentia, vel etiam iuris ministrorum aut rerum ecclesia, defensurus sit, qui genuina vel de potestate leges ecclesiasticas ferendi, vel de potestate judicaria circa personas & causas ecclesiasticas exercenda, juris publici principia non fuerit edocitus. Juris Ecclesiastici species est IUS CANONICO-PONTIFICIVM, quod, si rem recte astimes, itidem non nisi jus privatum est. At idem tamen ubi vel ad Personas ecclesiasticas, quae Imperantes sunt aut Status Imperii, vel ad Res ecclesiasticas, quae publica & immediata Imperii Territoria sunt, vel ad Causas ecclesiasticas, alterutrum horum concernentes, publici juris naturam induit, vel ejus partem facit. Certe alteram Statuum Imperii partem Personarum Ecclesiasticarum, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinum sacrorum Magistri, Abbes, Abbatissae, Prælati, & Præpositi, constituant, qui tum in sui constitutione, territorioque ecclesiastici acquisitione, tum in potestatis functionisque sacrae exercitio sere jure canonico-pontificio, ubi aliud legibus Imp. definitum non est, reguntur. Quid quod Episcopus extraneus, Papa scilicet Romanus, optimam maximam summa Potestatis circa sacra partem, Imperatoribus erectam, involaverit, & hodieque secundum juris sui canonici principia, nisi quantum per Concordata Nationis Germanicarum, aliasque Imperii leges, restricta est, in Germania exerceat. Quid quod & reliquias quædam juris papalis partem Superioritatis Territorialis circa sacra faciant, quam & ipsi Principes Evangelici sibi asserunt & exercent: quæ sane nisi ex juris canonico-pontificii principiis intelligi nequeunt.

Atque haec quidem, uti arbitror, sufficere poterunt, ad arctissimum juris publici privatique nexum, pro instituti ratione, demonstrandum. Forte nec latius ea omnia edifferendi materia defutura esset, nisi alia

alia adhuc dicenda superessent. Nimirum jam cum  
Studioſa hujus Academiac Juventute mihi res potiſſi-  
mum erit, Hujus enim commodis & studiis pro vi-  
rili mea provehendis, uti mea studia measque operas  
conſecravi: ita ſub auſpiciis novi muneris Academicici  
paucis Publicarum Privatarumque Scholarum mearum  
Academicarum, in quibus Jus Publicum pariter ac Pri-  
vatum traditurus ſum, institutum, quod animo conce-  
pi, eidem exponendum erit. Quod igitur ad Publicas  
Scholas meas attinet, in iis, pro muneris demandati  
ratione, initio ad Succinctam Codicis Iuſtimiane Repetita  
Prelectionis Enarrationem me accingam, ita, ut ſum-  
mam cujusque Tituli, potioresque juris articulos in  
Legibus ejus comprehenſos, breviter expoſiturus ſimi, notaturus ſimul, ſiquid forte novi, & a Pandectarum jure  
diverti, a Princepibus conſtitutum fuerit. Compendium  
certum in hiſ Lectionibus non ſequar, præſertim cum  
nullum, quod instituto prorsus ſatisfaciat, reperiam,  
ſed ipsum Codicem, ad manus ſemper poſitum, evol-  
vam, inter diſerendum quoque ita me iſtituam, ut  
potiora capita calamo excipi queant. Ceterum non ma-  
le ſibi conſulent, qui BRVNNEMANNI Memoriale Precipua-  
rum Legum Codicis ad manus habebunt, & cum traditis  
a me conferent. Codicis enarratione deſunctus, D. V.  
Novellarum jura interpretanda mihi ſumiam; cui pro-  
poſito IO. FRID. LVDOVICI Compendium Novellarum ſatis ac-  
commodatum erit. Publicas autem haſce Scholas poſt  
oc̄tiduum, die ſcil. XV. Maji, & quidem hora XI-XII. in  
Auditorio ICtorum Publico, Bono cum Deo, aperiam.  
In Scholis Privatis animus eſt, omnes Jurisprudentia pa-  
rtes dupli, quem vocant, Cursu, minori, puta, & majori,  
pertractare. Minoris Cursu inſerviet Synopſis mea Jurispru-  
dencie universa, Naturalis, Civilis, Judicarie, Criminalis,  
Feudalis, Canonico Ponitificis, Ecclesiastice Evangelica, & Ph-

llar; brevi, impensis Bibliopolæ Hallensis, publica luci exponenda, in qua singulæ hæ Jurisprudentiæ partes, quod ad prima sua elementa, per succinctas positiones ita proponentur, ut justam sibi Jurisprudentiæ Cultores distinctamque de universa Jurisprudentia, singulisque ejus partibus in animo formare possint ideam. Typis quidem, ob varia impedimenta, nondum exscribi posuit hac Synopsis mea; quo circa initio in calamum dictitanda erunt præcepta, quod graviter, ut spero, haud ferent futuri Domini Auditores, præsertim cum brevia sint futura, & scribendo simul animo imprimi, quæque notato digna visa fuerint, statim iis subjici possint. Forte & brevi impressionis initium fiet. Destinavi huic cursui sesquianum, sive octodecim menses: intra quod spatum eundem integrum ut emetiar, atque ad finem feliciter perducam, operam navabo sedulam. Ceterum hac in parte diversa erit hujus Cursus ab aliis ratio, quod non unum Collegium universum complexurum sit Cursus, sed circa singulas Jurisprudentiæ partes novum Collegium suum capturum sit initium, atque adeo qualibet Jurisprudentiæ parte finita, aliaque inchoata, cuilibet libera recessendi vel accedendi facultas sit futura. Initium a *Jure Natura & Gentium* fiet, quod citra controversiam fundamentum est omnis juris reliqui: & quidem itidem post octiduum, die nimirum XV. Maii. Horam, ubi de ea inter nos convenierit, separata schedula de tabula publica significabo.

Cursui huic jungam perperuum *Collegium Disputationum*, una vel duabus per hebdomadem horis institendum, in quo loco thesium erunt ipsa illæ Synopsis mea Positiones, ita, ut quæ dubia adhuc aut obscura in iis visa fuerint, ulterius explicari ac illustrari posint.

*Jus Naturæ* excipiet Synopsis Institutionum *Juris Civilis*: cuius positionibus ipse textus Justinianus subjicie-

tur,

tur, simul explicandus. Sequentur deinceps reliquæ Jurisprudentiaæ partes, superius memoratæ.

Jungam quoque eidem *Collegium*, quod vocant, *Relatorium*, referendis *Actis* dicatum, in gratiam illorum, qui modum in foro procedendi, jusque ad facta applicandi, juxta cum stylo curiæ, ex ipsis rerum argumentis, & viva veluti praxi, perdiscere cupiunt.

Quantum ad *Cursum Majorem*, quem dixi, in eo maijora & pleniora Jurium Compendia fundamenti loco collocabo. Primum hic sibi itidem *Jus Nature & Gentium* vindicabit locum: in quo interpretando dux & auctor mihi erit HVG GROTIUS libris suis de *Jure Belli & Pacis*. Non indiget hic Auctor laude mea & commendatione, quippe qui profunda vastaque eruditione sua, cuius tot mirifica in hoc opere extant documenta, dudum Principibus viris, Principumque Administris, imo tantum non omnibus eruditis, sese commendavit. Disimulari quidem & hoc nequit, rem arduam utique Summis etiam viris visam esse, hunc auctorem interpretari. Sapienti mihi, de eodem opere, Studiose Juventuti prælegendō, cogitanti, in mentem venit, quod B. CASPAR ZIEGLERVS (at quantus Juris Consultus!) de se ipso (f) testatur, deque dubiis sibi subnatis, cum nobilissimi quidam & in bonarum disciplinarum opere frequentes Juvenes istorum librorum enarrationem & clariorem interpretationem ab ipso petiissent. Ego, inquit, tum Auctoris stupendam & in omni litterarum genere oppido quam exercitatam eruditionem, tum in rebus probe subactum & versatum judicium, reveritus, numquid in hoc genere prestare, & ejus sermonem concisum sepe & involutum, justo interpretamento indiscisci possem, necum dubitabam. Fateor, & mihi, idem opus aggressuro, talia dubia subnasci potuisse: nisi & auctoritas summi ali-

(f) in *Prefit. Notis & Annotacionibus in Jure Belli ac Pacis libros præmadversionibus in HVG. GROTIUS missis.*

eius Viri, ac Theologi, tum in his Terris Saxonicis, tum per universam Ecclesiam ac Rempublicam litterariam, Celebratissimi, qui jam aliquod ab hinc annis desideria sua de Grotiano opere frequentius, quam fieri suevit, in Academiis prælegendo, mihi aperuit, & mea Publico inserviendi cupiditas, & maxima, quam ex hoc studiorum generere colendo semper cepi, voluptas, animum pervicerit, ac improbo labore difficultatem rei vincendi spem & ardorem accenderit.

Hunc laborem excipiet *Juris Civilis Interpretatio* paulo plenior & curatior, quod ad eos scilicet juris articulos, eaque, quæ ad theoriam, quam vocant, pertinent fundamenta. Huic instituto accomodatum ut haberem Compendium, ipse elaboravi *Accessiones Institutionum Juris Civilis, ex Jure Natura & Gentium, Romano & Germanico, cumprimis Saxonico, Communi & Eleitorali, ad methodum quidem Institutionum Justinianearum, sed suppletis harum defectibus, & materiis Juris in ordinem redactis, concinnatas*, quarum Pars prima Vitembergæ A. 1727. in lucem prodiit, & pars altera, interea temporis itidem, ut spero, prodibit: in quibus quid præstiterim, aut præstiterus sim, in Præfatione uberior exposui. Sequentur Prælectiones in *Pandectas*, in quibus pro cynosura erit Celeberrimi IVSTI HENN. BOEHMERI *Introductio in Jus Digestorum*, quæ & soliditate doctrinæ se commendat, & theorix pariter ac praxi satis accommodata est.

His duo alia addam Collegia, ad praxin itidem spectantia, alterum *Processuale*, quod vocant, modum procedendi in Judiciis Civilibus expositurum, alterum *Criminale*, in quo de criminibus eorumque poenis, modoque procedendi in Judiciis criminalibus, agetur. Quamvis enim de utroque causarum genere varii etiam in Pandectis occurrant Tituli: expediet tamen & seorsim ea capita, quæ ad alterutrum harum causarum genus pertinent,

FEBR. LVII 16 EDITIONIS

nent, eaque justo ordine disposita, pertractare. Et alteri quidem instituto *Introductio* mea ad *Processum Judicium*, *foris Germanici*, *cum primis Saxonici*, *Electoribus & Ducalibus*, accommodatum: alteri vero *Institutiones* meæ *Jurisprudentia Criminalis*, ex *jure Naturali*, *Romano*, *Canonico & Germanico*, *speciatim Imperiali & Saxonico*, concinnata, usum suum præstabunt. Utrumque Compendium maximam partem est elaboratum, nihilque, ut interim & ea, quæ desunt adhuc, elaborata adjiciantur, preloque adeo utrumque mature subjiciatur, faciam reliqui.

Agmen claudet *Jus Publicum*, cuius interpretationi inserviet *Introductio* mea ad *Jus Publicum Imperii Romano-Germanici*: quæ, repetita prælectione, secunda, inquam, editione procurata, emendatior & prælectionibus academiciis accommodatior Argentorati, impensis Bibliopolæ sati clari, *Dn. Job. Reimb. Dussekeei*, quam primum fieri poterit, lucem adspicit. *Jus Feudale*, nec non *Jus Canonico-Pontificium*, itemque *Jus Ecclesiasticum Evangelicum*, in hoc Cursu majori haud occurrent, quod hæ Jurisprudentiæ partes jam in *Synopsi* mea paulo plenius, atque ita tradentur, ut eas hic repetere non opus sit. Quisquis vero, de novo easdem sibi exponi, e re sua duxerit, recte omnino sibi consulet, si & aliorum Doctorum eas prælegentium scholas adierit. Siquidem in omni studiorum genere expedit, non uni soli Doctori adhærere, sed alios atque alios, eandem disciplinam tradentes, audire: quo ipso eveniet, ut, dum alias alia, eaque sape diversa, aut contraria, proponit, ansa meditandi, atque studiosius in veritatem inquirendi, Auditoribus subministretur.

Sed an Cursum hunc Majorem primo statimi anno sim exorsurus, certo pollicerine quoque. Saltim primo semifestri spatio id non fiet. Videndum enim prius, quantum temporis ordinarii labores, in Dicasteriis hujus Academiæ subeundi, relinquant. Præterea varia adhuc scri-  
pta,

pta, ut ex dictis etiam liquet, in usum Studiosæ Juventutis, & Prælectionum mearum Academicarum, in lucem edenda, sub manibus habeo: quibus adeo tempus, quod ab ordinariis istis laboribus relictum fuerit, impendendum initio erit. Hanc tamen fidem Bono cum DEO facio, quod simulac his lucubrationibus defunctus fuerō, pluribus etiam horis Studiosæ Juventuti vacaturus sim. Ceterum nolim mihi, præscripto utriusque cursus ordine, legem ita immutabilem scribere, quin data occasione ab eadem possim recedere, atque adeo partem Jurisprudentiæ, ex cursu majori vel minori, quam præoptaverim Domini Auditores, prius vel etiam frequentius ceteris, pertractandam sumere: siquidem desideria Dominorum Auditorum mihi hac in parte pro lege erunt.

Unum adhuc dicendum restat. Scilicet ut omnia rite, more institue majorum, fiant, antequam docendi provinciam in hac Academia ingrediar, Doctoris Publici munus, *SERENISSIMIS AVSPICIIIS* indulgentissime in me collatum, *Soleni Oratione*, auspicandum erit, cui *Diem VIII. Maii*, dicere placuit. Ad hanc igitur benebole audiendam *PRO-RECTOREM ACADEMIÆ MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTOS*, atque *CIVES ejusdem GENEROSISSIMOS ac NOBILISSIMOS*, ceterosque Studiorum nostrorum *PATRONOS ac FAVTORES*, omnium ordinum Honoratissimos, qua par est. observantia ac humanitate, invito, decentissime que rogito, velint hoc publicum Benevolentia suæ, Favorisque & Amoris in me, specimen edere, atque hunc Actum Academicum honorifica sua præsentia illustriorem splendidioremque reddere. Quod insigne beneficii genus grata semper mente collam, nullamque pratermittam occasionem, & meam inferviendi de promptitudinem cuilibet ipsorum vicissim demonstrandi,

P.P.d. VII. Maj. A. M DCC XXX.

103 (o) EG






Jena, Drk., 1730 (1)



Sle







DE. *Pr. g. I. num. 35. A 284 24*  
**ARCTISSIMO JVRIS PVBLICI  
 PRIVATIQVE NEXV**

PRÆFATVS  
**PRO-RECTOREM**

ACADEMIÆ MAGNIFICVM,  
 ILLVSTRISSIMOS COMITES,  
 PROCERES ACADEMIÆ GRAVISSIMOS,

nec non  
 CIVES ACADEMIÆ GENEROSSIIMOS AC NOBILISSIIMOS,  
 ad audiendam

ORATIONEM SOLENNEM,

QVA

**PROFESSIONEM CODICIS ET NO.  
 VELLARVM**

IN INCLVTA HAC ACADEMIA JENENSI  
 clementissime sibi demandatam,

*crastina luce*  
 IN AUDITORIO PVBLICO  
 auspicabitur,  
 pariter ac

STVDIOSAM JUVENTVTEM FLORENTISSIONAM  
 ad

**LECTIONES PVBLICAS ET PRIVATAS**

proxime Bono cum Deo exordiendas,

*Qua par est observantia ac humanitate*

invitat

**DIETERICVS HERMANNVS  
 KEMMERICH, JC<sup>T</sup>VS**

SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM LINEÆ ERNESTINÆ  
 CONSILARIUS AVLICVS, CODICIS ET NOVELLARVM PROF. P. NEC NON DE-  
 SIGNATVS CVRIÆ PROVINCIALIS DVCALIS, FACULTATIS JVRIDICÆ ET  
 SCABINATVS, IN HAC ACADEMIA, ASSESSOR.

*I EN AE, LITTERIS MULLERIANIS.*

KÖNFIRED  
 UNIVERS.  
 ZVHALIE